



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 256. Alteræ autem die quæ erat post Parasceven. v. 62.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

unde meruerunt videre primum resurgentem Dominum quia fuerunt perseverantes apud Dominum.

Domine ista considerans oro ut sedeam ad sepulchrum tuum cum hisce duabus devotis fœminis flens & gemens, quod te amiserim aliquando per peccatum. Sed & expectem resurrectionem tuam in corde meo qua eluceas iterum animæ meæ, & revertar ad pristinum innocentiae statum, & salutis, nec unquam quiescam donec tecum in gratiam redierim.

§. 256. *Altera autem die qua erat post Parasceven. v. 62.*

Dies altera post Parasceven est dies Sabbathi & quidem isto anno Dies solemnissimus Paschæ, in qua feriari debebant juxta legem Moysis Judæi, neque convenire ad judicium; judiciales enim causæ prohibebantur festivis diebus, maximè tali festo. Sed tanta erat invidia, & odium in Christi personam etiam post mortem, ut cogitarent & consilium inirent, quomodo etiam post ignominiosissimam mortem crucis, Christo ignominiam inferrent, inierunt ergo Consilium, ut occluderetur Christi sepulchrum taliter ne memoria eius ultra haberetur. nec deerat eis indignatio, quod Pilatus corpus eius sepeliendum dedisset Josepho ab Arimathea: maluissent ut etiam in die sancto Paschæ (contra tamen ipsorum consuetudinem) ignominiosissime adhuc pependisset in cruce inglorium & despectum toti mundo.

O Domine custodiam ego omni tempore vitæ meæ sabbatha & dies festos ab Ecclesia celebrari institutos, nec quidquam in ijs faciam aut tractem quod non cedat ad tui gloriam & proximi utilitatem: minime vero cogitem facere peccatum aut iniquum consilium de proximo lædendo vel circumveniando, uti pertinaces isti Judæi fecerunt.

§. 257. *Convenerunt Principes Sacerdosum & Pharisei ad Pilatum. v. 62.*

Convenerunt in die sancto Sabbathi, non nominat clare Sabbathum Evangelista, sed dicit, *altera die post Parasceve*, eo quod his de quibus loquitur non erat Sabbathum seu requies iuxta legem ipsorum, sed dies inquietudinis, dies mali consilij, dies ulterioris persecutionis & odij in Christum & discipulos, turebant enim instar rabidorum contra Iesum, & S. Iosephum & Nicodemum quod tam honorifice sepelivissent corpus eius; ideoque non curabant etiam transgredi præceptum de Sabbatho sanctificando positum. nefas erat illis tractare cum gentilibus, nefas ingredi prætorium aut domum Pilati gentilis in tanto festo & adeò per Moysen comendato: sed, ô hypocrisis! ut nocere possint, & nomē Christi à terris abolere, non curant prælivore transgredi sabbatum & tractare prohibita, alloqui gentilem &

intra-